



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA
VENERABILI FRATRI IOANNI PASZTOR,
EPISCOPO NITRIENSI***

Commemoratura brevi tempore dioecesis Nitriensis undecimum saeculum est ex quo ipsa iure est condita: qui quidem eventus cum animos laetitia afficit tum ad deliberandum mentes impellit ad precandumque et homines etiam invitat ut anteactis in aetatibus lucem quaerant ac praesentis itineris ducem.

Talibus Nos cum sensibus consociamur vobiscum omnibus – Episcopo, Clero, fidelium Populo – communi in gaudio totius dioecesis; quae nempe, ut docet Concilium Vaticanum Secundum, «est Populi Dei portio, ... in qua vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia» (*Christus Dominus*, 11). Hoc igitur aliud est signum communionis quae numquam sane obscurata dioecesim Nitriensem semper iunxit cum Apostolica Sede Christique Vicario.

Initium autem illius necessitudinis accidit quadam historiae aetate ex praeclarissimis omnino Slovachiae – tempore scilicet vitae operaeque Sanctorum Cyrilli et Methodii. Etenim Decessor Noster Ioannes VIII ad principem tunc Svatopluk scripsit: «Ipsam quoque presbyterum nomine Vichinum, quem nobis direxisti, electum episcopum consecravimus sanctae ecclesiae Nitriensis, quern suo archiepiscopo Methodio in omnibus obedientem, sicuti sancti canones docent, esse iubemus» (*Codex Diplomaticus et Epistolaris Slovaciae* I, p. 24). Cum primo itaque Episcopo Nitriensi et cum ipsis dioecesis primordiis arcte cohaeret memoria celebris illius Methodii nomen cuius illico ex se revocat in mentes spiritalem hereditatem ab eo transmissam. Fidelitas vero idem erga patrimonium sit vobis semper honoris titulus, vitae officium!

Porro ante omnia pertinet ad eam fidelitatem amor in Petri Successorem qui simul demonstrat quod paterna Nos cum consolatione hic extollimus – notam maxime propriam vestri religionis affectus. Ne proin deficiat umquam ille amor qui – Nobis id iam vobis aperte confirmantibus – ipse

invenit in Christi Vicarii corde quasi quandam sui imaginem hilaramque responsionem!

Ad eandem praeterea hereditatem refertur item consensus inter Episcopum et Presbyterium, et religiosos ac religiosas, et singulos fideles: omnes enim unicam efficiunt spiritalem domum quae gubernationi conceditur atque gravi muneri ipsius dioecesis Pastoris. Quanti est haec momenti consortio! Cunctis ideo modis eam conservate, licet interdum id postulet nisum ingentem et sacrificia! Ceterum nonne principium istud manat spiritali ex testamento Sancti Cyrilli? eius namque voces postremae continent incitationem ad talem consensum: »Domine, Deus meus, ... auge Ecclesiam tuam multitudine et omnes in unitate collige, et fac eximium populum concordem in vera fide tua et recta confessione, et inspira in corda eorum verbum tunc doctrinae» (*Vita Constantini XVIII*, 9. In Grivec-Tomsič, *Fontes*, p. 211). Longo propterea ex prioris temporis spatio necnon ex cohaerentia nostrae aetatis hauriat ea coniunctio incitamentum suum veramque voluntatem et propositum persequendi altius mutua inter omnes vincula; quem ad modum antiquus at omnibus pernotus auctor cohortatur Sanctus Ignatius Martyr: «Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et concordia caritate Iesus Christus canitur. Sed et vos singuli chorus estote, ut consoni per concordiam, meos Dei recipientes in unitate, cantetis voce una per Iesum Christum Patri; ... Utile itaque est, in immaculata unitate vos esse, ut et semper participetis Deo» (Epistula ad Ephesios IV; PG 5, 647). Sic quidem vos estis; ita pariter servati semper estis per memoriae proditas tempestates. Tales hodie quoque estote ac semper!

Sancti insuper ipsi dioecesis Patroni, Andreas Zoerardo et Benedictus, aliam hereditati vestrae spiritali adiciunt doctrinam quae locum Dei in memoriam revocat vitaeque inter ores ac precationis pondus. Pergite, carissimi, horum Caelitum duorum vestigiis ingredi! Id quod in primis monemus dilectissimos sacerdotes; ut hac ex intima communione cum Deo iunctio eorum cum Episcopo ac studiosum apostolatus opus usque profluant, et ad Deum tendant et cum Deo in Christo Jesu crescant ad Dei Populi aedificationem. Interior autem sacerdotum vita declaretur oportet privata fidei cotidiana prece; quo solo pacto fiet ut «stetur datis Christo atque Ecclesiae promissis»; sicut anno superiore sub Dominicae Cenae sollemnia scripsimus ad Ecclesiae presbyteros, cum addidimus sacerdotem mediis in difficultatibus probationibus temptationibus debere «per precationem videlicet reperire ... in se habitum illum et affectum humilitatis ac sinceritatis erga Deum propriamque conscientiam, qui fons ipse sit virium ad vacillando sustentanda» (*Novo Incipiente*, 9).

Quod vero supra facto mentio est Sanctorum Andreae Zoerardo et Benedicti, facere hand possumus quin etiam vincula memoremus necessitudinis amatam inter dioecesim Cracoviensem atque communitatem Nitriensem. Haec utinam ipso recordatio caritatis plena vobis aperiat totum amorem Nostrum, totam sollicitudinem Nostram et precationem pro vobis, carissimi, immo pro universis Slovachiae fidelibus. Adamat vos Summus Pontifex: certo istud scitote! Ille pro vobis precatur, vobiscum patitur, sperat vobiscum!

Ito quidem est: ex antiquitate Ecclesiae Nitriensis – de prima enim agitur ditione ecclesiastica in Europae Mediae regionibus – nascitur, velati undecim saeculorum testimonio confirmata, spes vigoris certa quem scilicet continua Dei praesentia vobiscum et Nobiscum et cuncta cum Ecclesia praestat. Laetamini proinde fiduciae pleni ! hoc vobis inculcat Christi Vicarius, dum repent hortativas voces quae adeo saepe resonant ex Dei Verbo.

Sed saecularis ista celebritas similiter adducit cogitationes Nostras ad ponderando munia Episcopi propria ideoque ad meditando ipsos dioecesi propositos fines: nominatim ministerium verbi, ministerium sanctificationis, ministerium pastoralis curae et Ecclesiae regiminis.

Etenim celebrationes patet circumscribere non licere quibusdam ritibus externis; gignere potius ipsas debere veram interiorum animorum conversionem quae numquam cesset sed novas usque investiget vias rerum spiritualium plenius intellegendarum necnon explendae apostolicae actualitatis.

Commonet nos Concilium Vaticanum Secundum: «Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii» (*Lumen Gentium*, 25). Verumtamen meminit idem Concilium: «Christus, Propheta magnus, ... suum munus propheticum adimplet, non solum per Hierarchiam, quae nomine et potestate Eius docet, sed etiam per laicos, quos ideo et testes constituit ... Quo in munere magni pretii apparet ille status vitae, qui speciali sacramento sanctificatur, scilicet vita matrimonialis et familiaris. Ibi exercitium et schola praeclara apostolatus laicorum habetur ... Ibi coniuges propriam habent vocationem» (*ibidem*, 35). Qua de re et ipsi nos nuperius scripsimus: «catechesis familiaris antecedit, prosequitur, amplificat aliam quamvis formam catecheseos tradendae» (*Catechesi Tradendae*, 68). Porro ipsum illud opus iam pertinet ad eximium iter dioecesis Nitriensis quippe quae recentiore tempore eminuerit missionali fervore praesertim archiepiscopo ducente Carolo Kmetko cuius numquam exstinguetur memoria.

Docendo ulterius prosequitur Concilium: «Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est "oeconomus gratiae supremi sacerdotii" praesertim in Eucharistia» (*Lumen Gentium*, 26).

Sanctificandi ergo munus inhaeret ipsi fonti quo omnes replentur quique universa pervadit usque ad singulorum sanctimoniam ut fiat vitae testimonium. Praestans dilectusque Noster Decessor Paulus VI, qui tantopere amabat Slovachos, elocutus est: «His omnibus dicimus: necesse est, ut nostrum evangelizationis studium vehemens a germana vitae sanctitate proficiscatur, quam precatio ac praesertim amor erga Eucharistiam alant, atque ... praedicatio ex parte sua incrementum afferat sanctitati praedicatoris» (*Evangelii Nuntiandi*, 76). Illud vobis omnibus, carissimi, iteramus Nos tamquam valens pro singulis mandatum – in cunctis nempe Ecclesiae ordinibus universisque in Ecclesiae officiis, at potissimum hodie pro vobis.

Rursus praedicat Concilium: «Episcopus, missus a Patrefamilias ad gubernandam familiam suam, ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris ... Fideles autem Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, ut omnia per unitatem consentiant et abundant in gloriam Dei» (*Lumen*

Gentium, 27). Sic sane regitur Ecclesia; sic vivitur in Ecclesia: per amorem, per ministerium, per magnanimitatem. Quot insuper argumenta velimus pertractare vobiscum, carissimi!

Legite ea in corde Nostro; perspicite ea vestris in conscientiis sub lumine perennium Ecclesiae doctrinarum, sub signo lucido saecularis eventus quem iam concelebratis! Quocirca undecimi illius saeculi commemoratio perducatur vos maiorem ad amorem in Ecclesiam et dioecesim vestram et ipsas vestras paroecias! Tempa frequentate vestra; convenite saepissime Eucharistiam maxime celebraturi. Diem Dominicum colite!

Sollemnia etiam saecularia vestram corroborent fidem: nam fides tribuit vobis plenum vitae sensum; docet vos tanti res aestimare quanti aequum earum poscit momentum; efficit ut errores fugiatis ac deceptiones. Sustentate proin hanc fidem apertaue cohaerentia filiis vestris commendate !

Denique hortamur familias ipsas: estote coniunctae, estote fideles. Amate filios. Defendite vitam eamque reveremini: omnem – inquam – vitam, humanam ac divinam in vobis, vestris in filiis!

Paterna cum affectione vobis benedicimus universis: Deus Pater Filius Spiritus Sanctus, valide deprecantibus Sanctis Cyrillo et Methodio ac Sanctis Andrea Zoerardo et Benedicto ipsaque Virgine Maria Perdolente, Slovaciae Patrona, gratiam super vos omnem effundat largiter ac benedictionem.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIV mensis Maii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

© Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana